

amplius pateret; acciditque ut de-
 truso bacillo ad valvulae viciniam
 circa *d* ferè, embolus *b* infernè exci-
 deret, prout Vir Laudatissimus asse-
 ruerat. *Secundum* huc redit: Cùm
 hic idem in valvula sua paulò laxiùs
 & neglectiùs ab obturaculo suo clau-
 sa observâset, aquam inferne per
 commissuras sensim admissam, eti-
 amsi supra obturaculum in tubo *d e*
 aliquousque jam ascendisset, ipsum
 tamen non expressisse, hoc modo
 causam à nobis allatam elusus; ex-
 periri rem in nostra quoque colli-
 buit. Tamei si verò hanc suus em-
 bolus clauderet exactiùs, eminuit ni-
 hilominus post aliquam temporis
 moram etiam hic aqua supra embo-
 lum vel obturaculum in Tubo cavo,
 ita quidem ut sensim ad *d* indeque
 porrò assurgeret, nec obturaculum
 priùs loco moveretur, quàm aqua in
 angustiore tubulo *d e* cum exteriori
 amplioris tubi esset posita quampro-
 ximè in æquilibrio &c.

XII. Satiatis ita hac etiam vi-
 ce oculis, ut mentem etiam explere-
 mus Auditorum nostrorum, oblatis
 antè Phænomenis assignare suas cau-
 sas conati sumus.

CONCLUSIO I. Ac primò quidem, quòd aqua tam
 promptè cedat in tubo Torricelliano, lac econtrà seigniùs ac
 difficiliùs argento vivo, ex particularum utriusque figura ha-
 riolari audebamus. Suadet profectò tam aquæ quàm argenti
 vivi

Phæn, XV.




Fig. XIX.

Causa I.
 Phæn.